

officio illibentius adhiberi, nullius ab hinc gratiâ fidem sub-
 turum, non si affinis fuerit aut frater. Pro te si quid præ-
 titi non poenitet aut poenitebit, quamdiu amare me pery
 qui eruditionem tuam diligo, æque atque admirandam censes.
 Vale. Hagæ 25. Jun. 1627.

Itinerarium cum epigrammate
 tuo recepi et sæpius elocare ampliore
 sortem velim, si vel tali usura
 spes detur.

C. Huygenius.

Barlae.

(89).
 Vix a me discesseras, Barlae doctissime, ut oblata scribendi
 occasione, manum calamo admoni, et parum tui memores
 Britannos quâ decere visum est comi severitate compellari:
 ut scilicet quæ inter illum Regem et Rempublicam nos-
 tram super jure Legationis nata contentio cesset, privato
 saltem tibi non obstaret, cui cum Republica nihil comuni
 ne esse, nisi quod in persona Regis publicæ de omni gente
 meritus es, cujus ut illi literarum accerrimi vindicæ ac
 Patroni tam subito non recordarentur fieri id, meâ opinione,
 per Musas non posse. Quicumque tandem rei futurus eventus
 nolui vel ambigere te æquid mihi curæ res amicorum
 sint, ut si forte opinionem meam Angli illuserint, quod
 vix est ut metuas, eam certe quam de me concepisse
 te confido, nunquam causa sit ut amittas. Adeo
 huic epistolæ Italianam et Germaniam meam, id est exigu-
 am earum partem, qualem olim per negotium publicæ
 tunc mihi commissum festinanti lustrare contigit. Rediit
 nunc demum ad me libellus iste e manibus magnorum
 virorum, qui ut meâ impensâ domi peregrinarentur, suâ
 quidem interesse crediderunt, curiosi utique non locorum
 qua adiuimus, sed tamen earum maximè rerum, quæ ab
 illo rituum antieorum et Politicorum peritissimæ Legato
 Aerssenio, publice ubique circa occurrentium virorum Principum
 et cetera hujusmodi receptionum solennia gesta fuerint.
 Te fortassis regionum, viarum, oppidorum historia magis
 afficiet, meæ jucundissimi itineris tanto meminisse juvabit.
 si post innumeros alios, unquam in eo paginam reperisse te
 sensero, cujus gratiâ totum perecurrisse non poeniteat. Vale
 et me amas. Hagæ 4. Jun. 1627.

C. Huygenius.

Oldenortio.